

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. XVIII. De Publicis Judiciis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

*ff. fn. regi.* Solent etiam *hodie* Judices delegati, sive Commissarii ad Ocularem inspectionem constituti, sæpe Agrimensores adhibere, ad Ichnographiam (einen Abrisß) faciendam. l. 8. §. 1. ff. l. 3. C. *fn. regund.*

- IX. In Actione familiæ herciscundæ, communi dividundo & Finium regundorum sæpe est necessaria *Adjudicatio*, qua Judex, *ob difficultatem divisionis* declinandam, aut *fines evidentius distinguendos*, Totam rem Dividendam finesve confusos, aut Portionem Debita Majorem, in unum ex litigantibus transfert, sub onere certæ præstationis, v. g. pecuniariæ, alteri
- §. 4. §. 6. I. h. litigantium parti faciendæ. §. IV. V. VI. *J. b. l. 22.*
- §. 1. 2. 3. ff. *fam. herc.* Per quam *Adjudicationem* transfertur *Dominium*, quando adver-
- §. 7. I. h. sarius fuit Dominus. §. VII. *J. b.* Si non fuit Dominus, ei cui facta adjudicatio, usucapiendi saltem facultas acquiritur. l. 17. ff. *d. Usur. & usuc.*

## TIT. XVIII.

*De Publicis Judiciis.**De differentia a privatis.*

**P**ublica judicia neque per actiones ordinantur, neque omnino quicquam simile habent cum ceteris judiciis, de quibus locuti sumus, magnaque diversitas eorum est in instituendis, & in exercendis.

*Etymologia.*

I. Publica autem dicta sunt, quod cuius ex populo executio eorum plerumque datur.

*Diviso.*



*Divisio.*

2. Publicorum judiciorum quædam *capitalia* sunt, quædam *non capitalia*. Capitalia dicimus, quæ ultimo supplicio afficiunt homines, vel etiam aquæ & ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo. Cetera, si quam infamiam irrogant cum damno pecuniario, hæc publica quidem sunt, non tamen capitalia.

*Exempla. De lesa Majestate.*

3. Publica autem judicia hæc sunt: Lex Julia Majestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel Rempublicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Cujus pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur.

*De adulterio, Sodomia, stupro.*

4. Item Lex Julia de adulteriis coërcendis, quæ non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eadem Lege Julia etiam stupri flagitium punitur, cum quis sine vi vel virginem, vel viduam honeste viventem, stupraverit. Pœnam autem eadem Lex irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum: si humiles, corporis coërcitionem cum relegatione.

*De ficariis, & Veneficis.*

5. Item Lex Cornelia de ficariis, quæ homicidas ultore ferro persequitur, vel eos, qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. Telum autem, ut Cæjus noster ex interpretatione Legum duodecim Tabularum scriptum reliquit, vulgo quidem id appellatur, quod arcu mittitur, sed & nunc omne significatur, quod manu cujusque jacitur. Sequitur ergo, ut lignum, & lapis, & ferrum hoc nomine contineantur, dictumque ab eo, quod in longinquum



ginquum mittitur, a Græca voce ἀπὸ τῆς τηλῆς figuratum. Et hanc significationem invenire possumus & in Græco nomine: nam, quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant, ἀπὸ τῆς βάλλεσθαι. Admonet nos Xenophon, nam ita scribit: καὶ τὰ βέλη ὁμῶς ἐφέρετο, λόγχοι, τοξέματα, σφενδάμαι, πλείστοι δὲ καὶ λίθοι. Sicarii autem appellantur a fica, quod significat ferreum cultrum. Eadem lege & venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quam suffuris magicis, homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint.

#### De parricidiis.

6. Alia deinde lex asperrimum crimen nova pœna persequitur, quæ Pompeja de parricidiis vocatur: qua cavetur, ut, si quis parentis, aut filii, aut omnino affectionis ejus, quæ nuncupatione parentum continetur, fata properaverit, sive clam sive palam id ausus fuerit, nec non is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur: & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solenni pœnæ subjiciatur, sed infusus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur: ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, & terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel affinitate personas conjunctas necaverit, pœnam Legis Corneliæ de sicariis sustinebit.

#### De falsis.

7. Item Lex Cornelia de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpsit, expresserit, sciens,  
dolo



dolo malo. Ejusque legis pœna in servos ultimum supplicium est, quod etiam in lege de sicariis & veneficis servatur: in liberos vero deportatio.

*De vi.*

8. Item Lex Julia de vi publica, seu privata, adversus eos exoritur, qui vim vel armatam vel sine armis commiserint. Sed, si quidem armata vis arguatur, deportatio ei ex Lege Julia de vi publica irrogatur: si vero sine armis, in tertiam partem bonorum suorum publicatio imponitur. Sin autem per vim raptus virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus, tunc & raptores, & ii, qui opem huic flagitio dederunt, capite puniuntur, secundum Nostræ Constitutionis definitionem, ex qua hoc apertius possibile est scire.

\* v. L. un.  
C. de rapt.  
virg.

*De peculatu.*

9. Item Lex Julia peculatus eos punit, qui publicam pecuniam, vel rem sacram, vel religiosam, furati fuerint. Sed, si quidem ipsi iudices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint, capitali animadversione puniuntur: & non solum hi, sed etiam, qui ministerium eis ad hoc exhibuerint, vel qui subtractas ab his scientes susceperint. Alii vero, qui in hanc legem inciderint, pœnæ deportationis subjunguntur.

*De plagiariis.*

10. Est & inter publica judicia Lex Fabia de plagiariis, quæ interdum capitis pœnam ex sacris Constitutionibus irrogat, interdum leviolem.

*De ambitu, repetundis, annona, residuis.*

11. Sunt præterea publica judicia, Lex Julia de ambitu, Lex Julia repetundarum, & Lex Julia de annona, & Lex Julia de residuis, quæ de certis capitulis loquuntur, & animæ quidem amissionem  
non



non irrogant: aliis autem pœnis eos subjiunt, qui præcepta earum neglexerint.

*Excusatio.*

12. Sed de publicis judiciis hæc exposuimus, ut vobis possibile sit, summo digito & quasi per indicem ea tetigisse: alioqui diligentior eorum scientia vobis ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris Deo propitio adventura est.

I.

*Publica Judicia* sunt *Judicia Lege Publica* introducta ad puniendâ *Crimina*, quibus *Respubl. graviter læditur*. *Leg. 1. ff. d. publ. Jud. j. l. 2. §. 23. 32. ff. d. O. J.* In his *Accusatio* cuiusvis ex populo permittitur. *§. I. J. b.*

Pr. I. h.

II. *Publica Judicia tractantur PR. J. b.* *Processu* vel *Accusatorio* vel *Inquisitorio*. In *Accusatorio* per *Viam Accusationis Criminis* Pœna ab *Accusatore* intenditur, & *Causa Ordinario Procedendi Modo* observato deciditur. *l. f. C. d. Accusat.* Hic etiam *hodie* in *Uso* est, *O. C. a. 89. Res. Gr. d. A. 1609. t. von Justit. C. gr. 5.* sed cessat *Inscriptio* & *Talionis pœna*. Apud *Saxones* quoque *Incarceratio Accusatoris*, donec caverit, quam *O. C. a. 12. 14. 181.* respicit, in *usu* non est.

III. *Processus Inquisitorius* est, quando *Judex*, ob *Criminis commissi gravitatem*, in *Veritatem delicti* ejusque *Auctorem* inquit, ne admissum maneat *impunitum*. *a. L. 13. ff. d. Offic. Pres. (a) c. 24. X. de accusat. O. C. a. 6. 214. 219.*

(a) *Congruit bono Magistratui malos homines conquirere, & prout quisque deliquerit, in eos animadvertere, ut pacata sit Respubl. & malis hominibus careat. L. 13. ff. d. Offic. Pres.*

Hic



Hic dividitur in *Generalem*, quo in Corpus Delicti & Personam Delinquentis *generaliter* inquiritur, *O. C. a. 6. & Specialem*, quo, post probabilem commissi criminis notitiam, adversus *Certam Personam* iudiciis *gravatam* inquiritur, ut eidem Poena legitima imponatur. *d. art. j. Res. Gr. d. An. 1609. t. Justit. S. gr. 5.*

IV. In Processu Inquisitorio attendendum r. I.) *Judicis* (1) *an Forum ejus sit competens* tam intuitu *Causæ* quam *Rei*. *l. 1. C. ubi de Crim.* (2) *Officium ejus* in formandis Articulis Inquisitionalibus, exigendis *Rei* ad eos *Responsionibus* & conquirendis *Articulorum negatorum Probationibus*. II.) *Rei an sit* (1) *Absens*, atque tum *Fugitivum* persequitur *Judex Literis Incarcerationis Patentibus*, mit offenen *Stech. Briefen*, quibus frustra adhibitis petenti indulgere potest *Salvum Conductum*, ein sicher Geleit, i. e. *securitatem*, qua *rei a metu incarcerationis* liberantur, quo commodius *defensionem* suam promovere queant. Hic *Salvus Conductus* est, vel *Generalis* ein gemein sicher Geleit, vel *Specialis*, ein fren sicher Geleit, v. *Dec. El. 76.* (2) *Præsens* & *Incarcerari* solet *ejusque Responsio* ad *Articulos Inquisitionales* exigi. *Res. Gr. d. A. 1609. gr. 5.* Posteaquam inchoata inquisitio *Reo* haud dene-ganda *Defensio*, a. *L. 18. S. 9. ff. d. quest.* (b) *que est gravaminis* per *Inquisitionem* illati suscepta *declinatio*, eaque tendit, vel ad avertendam *In-*

(b) *Defensionem*, quocumque tempore postulante *reo*, denegari non oportet. *L. 18. S. 9. ff. d. pæn.*

quifi-



quisitionem aut Torturam, vel ad Tollendam Minuendamve Pœnam.

V. Publica Judicia certam in reos statuere solent pœnam *l. 15. ff. admunic.* Pœna autem in genere est *facti illiciti debita coërcitio. a. l. 41. ff. d. pœn.* eaque dividitur (1) In *Ordinariam*, quæ certa *Lege* constituta & determinata. *l. 1. §. 4. ff. ad Sc. Turp. & Extraordinariam*, quæ *Judicis arbitrio* relicta est, ut ab ipso determinaretur. *l. 1. §. 1. ff. d. effract. L. 11. ff. d. pœn. (c)* (2) *Jure Hodierno* in *Civilem & Criminalem.* *Civilis* eine *Bürgerliche Straffe*, *non tendit ad corporis afflictionem. fac. a. O. C. a. 177. 178. & R. l. 1. a. 53.* *Jure Civili* dicitur pœna *Civilis*, quando *Actoris Interesse* persequitur eidemque applicatur. *l. 9. §. 5. ff. d. publican. & vect.* Pœna *Criminalis* tendit ad *Corporis Afflictionem*, die an *Haut und Haar* gehet. *Jure Civili* appellatur Pœna *Criminalis*, quoties *Publicum Interesse* persequitur & in *Reip. utilitatem* cedit. *§. 10. J. d. injur. estque vel Non Capitalis*, eine *Leibes. Straffe*, *vel Capitalis*, eine *Lebens. Straffe*, & vitam naturaliter tollit, atque hæc vel *Simplex* vel *Aggravata.* *O. C. a. 131. 137. P. 4. C. El. 35. §. 3. §. f.*

VI. Publica Judicia dividuntur in *Capitalia*, quorum pœna est *Capitalis*, vitam naturaliter vel civiliter auferens. *§. II. J. b. j. l. 63. §. f. ff. pro soc. & Non Capitalia*, quorum Pœna est non

§. 2. I. h.

(c) *In Criminibus certam lege determinatam pœnam non habentibus arbitraria pœnæ locus. L. 11. ff. d. pœn.*

Capi-



*Capitalis*: ut relegatio, multa fisco applicanda.  
§. II. *J. h. l. 2. ff. eod.*

VII. Locum habent Publica Judicia e. g. ob *Crimen Majestatis Lesæ*, quod est Crimen Publicum (Lege Julia notatum) quo *Summa Reip. Potestas* læditur. §. III. *J. b.* Hoc dispescitur in §. 3. I. h. Crimen Perduellionis & Majestatis in specie. *Crimen Perduellionis* est, quo quis *Directe* quid *contra securitatem* Principis vel Reip. *Hostili Animo* facit. *l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj. §. III. J. b. v. g.* adversus Imperatorem, Electores. *A. B. c. 24. j. l. 5. C. ad Leg. Jul. Maj.* Atque illud *punitur* 1) *Rei in Corpus* Gladio. *d. l. 5. §. III. J. b.* aliove supplicii genere. *d. §. a. l. 3. ff. d. Jurisd.* ut Dissectione in quatuor partes. *O. C. a. 124. Extra Corpus* (1) *Memoriæ Rei Damnatione. l. 8. C. ad L. Jul. Maj.* (2) *Bonorum Confiscatione*, etiam hodie. *N. 134. f. O. C. a. 218.* (3) *Irritatione Gestorum l. 5. §. 4. l. f. C. ad L. Jul. Maj.* 2) *Aliorum vel proprie*, ob *Intercessionem* pro Reis, quæ infamat. *d. l. 5. §. 2. A. B. c. 24.* vel *Improprie*: sic in Liberos transit Poenarum Sensus in Medicinam securitatis publicæ: ut *Infamia* quædam, *Incapacitas Acquisitionis* ex testamento vel ab intestato *Honorumque. L. 5. §. 1. C. eod.* Filiabus salva relinquitur ex Matris hæreditate *Legitima. d. l. 5. §. 3. C. (d)* Atque hæc Poena *Usui Hodierno* convenit. *A. B. c. 24. O. C. a. 218.*

(d) *Fœminæ pro infirmitate sexus minus, quam masculi, usuræ esse creduntur. L. 5. §. 3. C. ad L. Jul. Maj.*

P p

VIII. Cri-



VIII. *Crimen Lesæ Majestatis in Specie* est, quo quis absque Hostili Animo aliquid *contra splendorem*, dignitatem & existimationem Principis aut Reip. committit. *l. f. ff. ad L. Jul. Maj. l. 1. C. d. priv. carc. l. 2. C. d. fals. mon.* Hujus Poena pro modo admissi est varia ut deportationis, relegationis, &c. *l. 24. l. 40. d. pæn. ipsumque crimen morte extinguitur. l. f. ff. ad L. Jul. Maj.*

IX. Lege Julia notatum est Crimen 1. Adulterii. 2. Sodomix. 3. Stupri. *Adulterium* est in *sensu speciali* Concubitus dolosus cum aliena Uxore. *l. 6. §. 1. l. 34. §. 1. l. 43. ff. ad L. Jul. d. §. 4. l. h. Adul. §. IV. J. h. in Sensu Generali & Moderno fidei* item Thori *Conjugalis dolosa Violatio. l. u. ff. d. V. S. a. l. 1. l. 7. C. l. 13. pr. §. 6. l. 43. ff. ad L. Jul. d. adul. O. C. a. 120. §. item. P. 4. C. El. 19.* Hoc dividitur in *Simplex*, einfacher Ehebruch, quo *Conjux cum soluto* solutave, & *Duplex*, die Ober. Hurerey, quo *Conjux cum Alterius Conjuge* concumbit.

X. *Adulterium punitur Jure Civili in Adulterio* 1) *cum Nupta commisso Gladio. l. 30. §. 1. C. ad L. Jul. d. adul. Conf. O. C. n. 120. §. 1. 2. a. 13.* quam Poenam licet mitigaverit Justinianus in Fœminis, dum eas virgis cæsas in Monasterium detrudi jussit *N. 134. c. 10.* *Ufus* tamen æqualem poenam in masculos & fœminas statui solere probat. In *Saxon. Comm.* Uxor Adultera fustigatur & in perpetuum relegatur. 2) *Cum Soluto perpetrato Adulteræ fustigatione & perpetua re-*  
legatio-



legatione, *a. l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. d. adult. j. N. 134. c. 10.* Solutum autem Gladio tum esse plectendum, haud pauci sentiunt. *a. §. IV. J. b. l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. d. adult.* Quando Adulterium est *cum soluta* commissum, Adulter virgis caeditur & in perpetuum relegatur. *a. d. l. 6. §. 1.* Soluta vero arbitrarie punitur tanquam ob stuprum late sic dictum. *a. l. 101. ff. d. V. S. d. l. 6. §. 1. §. IV. J. b. P. 4. C. El. 27. 28.* inde relegatio Sexennii dictata in *F. J. L. Mens. Febr. An. 707.*

XI. Adulterium punitur *Jure Sax. El. in Adulterio Duplicato* supplicio Gladii. *P. 4. C. El. 19. pr. In Simplici Conjugatus* vel Conjugata eodem Supplicio Gladii Plectitur. *d. C. El. Kirchen-Ord. t. von der Straffe der Unzucht. §. da einer. Masculus* autem *Solutus Gladii*, Soluta vero Foemina fustigationis & perpetuæ relegationis poenæ subicitur, licet forte Conjux adulter vel adultera, ob Conjugis intercessionem, in perpetuum saltem relegetur. *d. C. §. darüber. j. §. Es soll aber.*

XII. *Sodomia* (a Sodomitis dicta. *Gen. c. 19. v. 5. seq.*) est Crimen Publicum Concubitu *contra Naturam* ab Homine *cum Homine* ejusdem vel diversi sexus, *aut cum Bruto* commissum. *a. §. IV. J. b. l. 31. C. ad L. Jul. d. adult. O. C. art. 116.* eaque Punitur *Jure Justiniano* Gladio, *§. IV. J. b. d. l. 31. Imperii igne, O. C. a. 116. Saxo-nico*, quoties Sodomia commissa cum Homine, Gladio, *fac. Const. El. N. 5.* quoties cum Bruto, Crematione Hominis & Bruti. *d. art. 116. O. C.*





XIII. *Stuprum* est Publicum Delictum per illicitum Concubitus *soluti* cum Virgine vel Vidua *honeste vivente* commissum, §. IV. J. b. & Dividitur in Violentum, die Nothzucht, & Voluntarium. *Violentum* cum est *Attentatum* Coërcetur Arbitrarie, O. C. a. 119. e. g. Fustigatione & perpetua relegatione. *Consummatum* punitur Ultimo Supplicio tanquam vis publica atrocior. a. l. f. §. 1. ff. d. re mil. j. l. 29. §. f. ff. ad L. Jul. d. adult. l. 1. §. f. ff. de extraord. crim. ut Gladio. O. C. a. 119. P. 4. C. El. 30. quæ Pœna apud Saxones etiam Scortationi Violentæ dictata est. P. 4. C. El. 30.

XIV. *Stuprum Voluntarium* est, quod cum Volente vel parum reluctante Virgine vel Vidua, *honeste alias vivente*, committitur. §. IV. J. b. & punitur Jure 1) Civili in Vilioribus corporis coërcitione una cum relegatione, in Honoratioribus Publicatione dimidiæ partis Bonorum. §. IV. J. b. Quæ pœna in Imperio nostro non penitus obsolevit. 2) Hodierno apud Saxones in Stupratoris & Stuprata regulariter Carcere. Kirchen-Ordn. t. Gen. von Ehe-Sachen. Spec. von Straffe der Unzucht. §. würde denn eine ledige. P. 4. C. El. 27. §. f. In Stupratoris tantum Necessitate (1) Stupratam Ducendi aut Dotandi. (2) Infantem ex stupro susceptum Alendi. P. 4. C. El. 27. Quantitatem Alimentorum & Terminum ad quem Definit Judex Arbitrio suo; in genere ea præstanda sunt, bisß das Kind sein Brodt selbst erwerben kan.

XV. Stu-



XV. Stupro affinis est Fornicatio s. Scortatio, quæ est Coitus cum Soluta Fœmina Vulgari palam & passim se prostituente. l. 43. pr. §. 1. 2. ff. d. R. N. atque Jure Divino pro Mortali Peccato agnoscitur. 1. ad Cor. 6. v. 9. 18. & Jure Civili infamia notatur in scorto, cum est persona libera. l. 43. §. 5. 4. ff. d. R. N. j. l. 24. ff. d. his qui not. inf. ea punitur Jure Sax. El. in 1) Meretrice palam se prostituente Relegatione temporali aut perpetua, P. 4. C. El. 28. & aliquando gravius. 2) Scortatore Carcere, d. C. & quandoque acerbius.

XVI. Homicidium dolosum est hominis occisio a sciente & volente Dolo malo facta. §. V. J. b. §. 5. I. R. L. 7. ff. ad L. Corn. d. Sicar. (e) veluti telo, i. e. ligno, lapide, ferro. d. §. Jure Civili etiam Attentatum Homicidium tanquam Consummatum puniebatur. d. §. d. L. 7. sed Hodierno mitiori poenæ locus est. O. C. a. 148. 178. P. 4. C. El. 3. 7. Homicidium illud dividitur in Simplex & Qualificatum. Simplex nomen homicidii Generale retinet. Hoc notatum est L. Cornelia de Sicariis, §. V. J. b. & punitur Gladio Jure Civili Novo. §. V. J. b. l. 3. C. d. Episc. Aud. l. un. C. d. rapt. virg. j. l. 1. §. 2. ff. ad L. Corn. d. Sicar. quod hodie attenditur. O. C. a. 137. P. 4. C. El. 6.

XVIII. Homicidium Qualificatum est, quod ob concurrentes circumstantias Speciale Nomen recipit; ut Veneficium & Parricidium; Venefi-

(e) In Lege Cornelia dolus pro facto est, nec lata culpa dolo æquiparatur. L. 7. ff. ad L. Corn. d. sic.



*cium* (Notatum L. Cornelia) est Homicidium Dolose *veneno malo*, l. 236. ff. d. V. S. necandi causa facto, vendito, emto, &c. l. 1. ff. ad L. Pompej. d. Parricid. datove Commissum. §. V. J. h. l. 1. §. 1. l. 3. ff. ad L. Corn. d. Sicar. j. O. C. a. 37. & punitur Jure 1) Civili Gladio. §. V. J. h. l. 28. §. 9. ff. d. pæn. licet non consummatum. d. §. V. l. 3. ff. ad L. Corn. d. Sicar. Jure Hodierno in Consummato saltem ordinaria Pœna locum invenit. a. O. C. a. 130. 2) Hodierno Imperii in Masculis Rota, in Fœminis Suffocatione. O. C. a. 130. Jure Saxonico apud nos Rota in Masculis & Fœminis. fac. d. art. j. a. 105.

XVIII. Veneficio affinis *Magia*, est Crimen Publicum, quod *Magicas Artes* exercendo, & *Pacto cum Diabolo* inito, committitur. §. V. J. h. ac punitur Jure 1) Divino Ultimo Supplicio. Exod. c. 22. v. 18. Lev. c. 20. v. 6. nec non Jure Civili, e. g. Gladio, §. V. J. h. l. 5. l. 6. C. d. malef. & math. Igne. l. 3. C. eod. 2) Hodierno sub distinctione, vel enim *Pactum cum Diabolo initum est Expresse*, per Fœderis cum Christo Pacti Abdicationem Satanæque expresse factam Mancipationem, & coercetur igne, quamvis nemini datum sit damnum. P. 4. C. El. 2. quæ Pœna multo magis obtinet, si cuiquam fuerit nocitum. O. C. a. 109. aut fœdus cum Dæmone Concubitus accesserit. a. d. art. d. C. El. vel Tacite, cum quis Citra Pactionem expressam Magicis Artibus utitur, atque tum, Si 1) fœdus cum Satana Concubitus intercessit, Ignis Supplicio locus est. (2) Ar-



(2) Artibus Magicis Nocitum Jure Imperii Ignis, O. C. a. 109. Sax. El. Gladii Poena obtinet. P. 4. C. El. 2. §. da aber. (3) Non est Nocitum, sed præfagio aut divinatione usa est Saga, J. Sax. El. Poena Gladii dictata est. P. 4. C. El. 2. §. f. sed O. C. a. 109. certa poena non est definita. Sortiarii die Seegensprecher, d. art. nec non ii, qui Opera Magorum usi sunt, Arbitrarie plectuntur.

XIX. Parricidium (notatum Lege Pompeja) est homicidium in Personas Conjunctas Dolose commissum. §. VI. J. b. l. 1. ff. ad L. Pompej. d. §. 6. l. h. Parricid. idque perpetrare censetur etiam Extraneus Criminis illius Particeps adeoque Parricidii poenæ subicitur. §. VI. J. b. l. 7. l. 6. l. 2. ff. ad L. Pompej. d. parric. Jure Civili hujus Criminis Conatus ut consummatum punitur delictum. a. d. l. 1. sed Usus Hodiernus, ne quidem si ad actum proximum fuerit perventum, ordinariæ parricidii poenæ locum relinquit. a. O. C. a. 178. P. 4. C. El. 3. Parricidium dividitur in Proprium, & in Personam Conjunctam eamque vel Ascendentem vel Descendentem, aut Conjugem, committitur. §. VI. J. b. l. 1. ff. ad L. Pompej. d. Parricid. j. l. un. C. d. his qui par. vel lib. occid. P. 4. C. El. 3. Improprrium, & in reliquos Personas proxime Conjunctas Sanguine, Affinitate (ad 4. usque gradum inclusive. l. 3. ff. ad L. Pompej. d. parr.) Sponsalibus, vel ob Libertatis Beneficium, committitur. §. VI. J. b. l. 1. l. 3. l. 4. ff. ad L. Pomp. d. parr.

XX. Parricidium Proprium punitur in Linea

P p 4

Recta





*Recta Consanguinitatis, vel inter Conjuges, perpetratum Culeo, i. e. reus virgis sanguineis cæsus cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia in vicinum mare vel amnem projicitur. §. VI. J. b. l. 9. ff. ad L. Pomp. d. parric. quæ Pœna obtinet multis in locis, etiam in Saxonia. P. 4. C. El. 3. Solet autem pro Culeo, Saccus Linteus, pro Simia sæpe Felis, d. C. El. & pro Serpente vivo, quando haberi nequit, pictus substitui, atque hæc animalia separatis sacculis includuntur, virgarum vero cæsis prætermittitur. d. C. El. Quod si Elumen proximum non sit, reus Bestiis obijci jubetur. l. 9. ff. ad L. Pompej. d. Parr. in Saxonia El. autem Rota plectitur. P. 4. C. El. 3. j. O. C. a. 137.*

XXI. *Parricidium Improprum punitur, scilicet Commissum in Consanguineos ex Latere & affines intra quartum gradum constitutos Jure Civili, a. l. 3. ff. ad L. Pomp. d. Parr. Jure Sax. El. Matrimonio jungi prohibitos Jure Divino Universalis, P. 4. C. El. 3. §. f. Ultimo Supplicio, l. 9. §. 1. ff. eod. ut Gladio, cui accedit Raptatio ad Locum Supplicii juxta d. Const. El.*

XXII. *Crimen Falsi est Crimen Publicum (vi Legis Corneliæ) quod committitur Dolosa Veritatis Immutatione in alterius præjudicium §. 7. I. h. facta, & a lege notata. §. VII. J. b. l. 2. l. 13. l. 15. ff. ad L. Corn. d. fals. j. l. 3. §. 1. ff. stellionat. Hoc dividitur in Personale, & circa Personas committitur: ut suppositio partus l. 30. §. 1. ff. ad L. Corn. d. fals. l. 13. ff. eod. j. l. un. C. d. mut. nom. &*



& Reale, quod circa Res committitur, veluti testamentum vel instrumentum falsum scribendo, signum adulterinum faciendo &c. §. VII. *J. b.* Punitur vero Jure Veteri in Servis Ultimo Supplicio, in Liberis Hominibus plerumque Deportatione. §. VII. *J. b. j. l. 27. §. f. ff. ad L. Corn. d. fals.* Jure Novo regulariter Arbitrarie & ad deportationem perveniri potest, imo ad Ultimum Supplicium extendi poena, si id exigat Magnitudo Criminis. *L. 22. C. ad L. Corn. d. fals. (f) O. C. a. 112. 113.* Plurimis tamen in casibus Fustigatio dicitur aut Relegatio.

XXIII. *Vis Publica est Crimen Publicum (Lege Julia notatum) quo Respubl. Atroci Violentia graviter Læditur. §. VIII. J. b.* idque committitur frequentissime armis. *d. §. Ubi, ut Armata Vis in Crimen Fractæ Pacis Publicæ Imperii incidat, exigitur Vis (1) Dolosa. (2) Publica. (3) Atrox* coadunatis hominibus armatis illata. *Ord. Cam. P. 2. t. 10. §. 5.* Atque hoc Crimen Vindicatur Secundum Jus Commune, ob atrocitatem, Gladio a Judice ordinario. *a. l. f. §. 1. ff. d. re milit. R. J. August. d. A. 1555 §. 48. O. C. a. 218. 219.* Secundum Jus Imperii Banno Imperiali &c. vi cujus licita est quævis Rei in persona bonisque Offensio, Bannitoque Jus Civitatis in Imperio adimitur. *O. C. P. 2. t. 9. §. 2. Vis Publica puni-*

(f) *Crimen falsi pro modo admissi & si exigat delicti magnitudo, supplicio capitali puniri potest. L. 22. C. ad L. Corn. d. fals.*



*tur Jure Civili regulariter Deportatione, §. VIII. J. b. quandoque gravius etiam capitali supplicio. l. ii. ff. ad L. Jul. d. vi publ. Arbitraria Poena Ufu hodierno obtinet multis in locis, nisi Certam Lex aut Consuetudo specialis definiverit. a. d. l. ii. P. 4. C. El. 43.*

XXIV. Vi Publicæ affinis *Raptus est* Crimen Publicum, quod committitur *Honestam* Personam (e. g. virginem viduam, sanctimoniam, i. e. Deo dicatam. §. VIII. J. b. l. 54. C. d. Episc. & Cler.) invitam dolove persuasam *Libidinis* gratia de loco in locum *Abducendo*, Leg. un. pr. §. 1. C. d. rapt. virg. raptus coërcetur dum 1) *Omnis Spes Matrimonii* Raptori cum Rapta *præscinditur*, licet rapta ejusque parens consenserit. d. l. un. §. 1. Nov. 143. id quod *Jure Canonico & Hodierno* plerisque in locis mutatum; tale Matrimonium enim, si rapta sponte sua postea raptori nubat, permittitur. c. 6. f. X. d. rapt. & in honorem matrimonii poena mitigatur. 2) *Reus & in Actu Rapinae Adjutor* Gladio punitur. §. IIX. J. b. bona etiam rei ministrive (servi cremantur. d. l. un. §. 3.) ingenuæ personæ, quæ raptum passa est, applicantur. d. l. un. §. 1. 2. hæc autem Poena ob odium bonorum ablationis, raro *hodie* in usu est. *In Adjutoribus* Extraordinariæ Animadversioni locus relinqui solet. Unde foemina, quæ opem & consilium præstiterat, dictata relegationis poena per quinquennium in F. J. L. M. Jun. 704.

XXV. *Vis*



XXV. *Vis Privata est Crimen Publicum* (Lege Julia notatum) quo *Respubl. Non Gravior* læditur, e. g. sine armis. §. VIII. J. b. & *Punitur Jure Civili* Publicatione tertiæ partis Bonorum. §. VIII. J. b. *Jure Hodierno* Arbitrarie pro ratione violentiæ personarumque conditione.

XXVI. *Peculatus in sensu Lato est Crimen Publicum* (Lege Julia notatum) Pecuniæ Publicæ, Sacræ vel Religiosæ surreptione commissum. §. IX. J. b. l. 4. ff. ad L. Jul. peculat. *In sensu stricto der Diebstahl gemeiner Gelder, est Crimen Publicum Pecuniæ Publicæ* Surreptione commissum ab eo, *cujus periculo pecunia non fuit.* l. 9. §. 2. ff. eod. *Punitur autem Peculatus vel Pecuniarie,* ut quadruplo. l. 13. ff. eod. *vel extra ordinem* in Personis in Administratione Publica constitutis, nec non iis, quæ ministerium adhibuerunt, vel res subtractas ab his scientes susceperunt, Capitali Supplicio. §. IX. J. b. l. un. C. d. *leg. Jul. pec.* in Personis Privatis Deportatione. d. §. *Hodie Furti pœna locum habet.* §. 9. I. h.

XXVII. *Sacrilegium Jure Civili est Crimen Publicum Rei Sacræ vel Religiosæ* surreptione *ex Loco Sacro* commissum. l. 4. l. 5. l. 9. §. 1. ff. ad L. Jul. pec. *Cujus Pœna est Capitalis* mitiorve, prout circumstantiæ id exegerint. l. 6. l. 9. ff. eod. *Jure Canonico & Hodierno* *Sacrilegium est Crimen Dolosæ* Surreptione *Rei Sacræ vel Profanæ ex Loco Sacro,* vel Sacræ ex Loco Profano commissum. a. c. 20. §. *Sacrilegium.* XVII. q. 4. *Ord.*



*Ord. Crim. a. 171. 172. & punitur secundum Jus Imperii, ita ut is, qui Monstrantiam furatus est, Ignis supplicium subeat. O. C. a. 172. Reliqui Arbitrarie, gravius tamen quam fures, plectantur. O. C. a. 171. 172. 174. Jure Saxonico quoties Res Sacra ex Loco Sacro Ablata est, Supplicium Rotæ, §. 1. l. 2. a. 13. & cum Res Sacra ex Loco Profano vel Profana ex Loco Sacro subtracta est, Furtipoena obtinet.*

XXIIX. *Plagium est Crimen Publicum, L. 13. C. ad L. Fab. d. plag. (Lege Fabia notatum) quo Liber Homo vel Servus Alienus Dolo malo, l. 3. ff. l. 14. l. 15. C. eod. cum vel sine violentia Supprimitur. l. 1. l. 2. C. eod. atque Punitur pro delicti modo Varie. l. f. ff. eod. & atrocibus circumstantiis urgentibus (e. g. hodie in Judæis)*  
 §. 10. I. h. *Ultimo Supplicio §. X. f. b. l. 7. l. f. C. ad L. Fab. d. plag. apud Saxones quoque, id quod statutum in Conrad Rauffung, cum Principes Sax. Albertum & Ernestum Plagio subduxisset. In Auxiliatores delicti Socios eadem statui potest Poena, quæ in ipsos reos. l. 6. §. f. ff. eod.*

§. 11. I. h. *XXIX. Ambitus §. XI. f. b. est Crimen Publicum (Lege Julia notatum d. §.) quod committitur, cum quis Illegitimo Modo, e. g. data pecunia, Honores parat. a. l. un. pr. §. 1. ff. d. L. Jul. amb. Olim Puniebatur, si quis in Municipio contra hanc legem Magistratum aut Sacerdotium petiisset per Sctum 100. aur. cum infamia, d. l. un. pr. §. 1. postea Deportationem in reos statutam*



tam esse *a. l. un. C. eod.* colligitur. *Hodie* Poena est *Arbitraria*. Etiam ob conatum ambitus inquisitioni esse locum *resp. F. J. L. M. Jul. A. 700.*

XXX. *Crimen Repetundarum* §. XI. *J. b.* est Crimen Publicum (Lege Julia notatum *d. §.*) quo in *Officio Publico* constituti *Munus* capiunt, ut magis aut minus quid ex officio faciant. *l. 3. l. 6. pr. §. 2. ff. d. L. Jul. repetund.* Punitur vel Mulcta quadrupli, *l. 1. C. eod.* vel Extraordinaria Animadversione exilio aut durius. *l. 7. §. f. ff. eod. Hodie Arbitrarie.*

XXXI. *Crimen Annonæ Defraudatæ* §. XI. *J. b.* est Crimen Publicum (Lege Julia notatum. *d. §.*) quod committitur *Dolosa Annonæ Suppressione*, ut carior fiat. *l. 2. ff. d. L. Jul. d. ann.* & Punitur 20. Solidis. *l. 2. §. f. ff. eod.* *Hodie* Crimen Annonæ extra ordinem Arbitrarie plerumque coercetur. *l. 37. ff. d. pœn. l. 6. ff. d. extraord. crim.*

XXXII. *Crimen Residui* §. XI. *J. b.* est Crimen Publicum (Lege Julia notatum. *d. §.*) illicita *Retentione Pecuniæ Publicæ* ab illo, *cujus Administrationi ea concredita* est, commissum. *l. 2. l. 4. §. 3. ff. ad L. Jul. pecul.* & punitur *Jure Civili*, dum Reus ex Residuo Tertia Parte Amplius, quam debet, præstare tenetur. *l. 4. §. 5. ff. eod.* Quæ Poena a Facultate Juridica Francofurtana aliquoties dictata est. *Jure Saxonico Electorali in Quaestoribus & Administratoribus perfidis*, qui Dolo malo pecuniam subtraxerunt & in proprios usus converterunt (1) *Carcere aut Relegatione*



*legatione temporali, quando Residuum est 50. aur. (in moneta usitata. d. Mand. Regio. §. Damit.) minus. P. 4. C. El. 41. nec potest reus duplo restituito a poena se liberare. Mand. Reg. d. d. 26. Sept. 705. §. Wie denn gleichfalls. (2) Fustigatione cum perpetua Relegatione, quando Residuum est 50. aur. majus d. C. (3) Suspendio quoties Residuum hoc 100. aur. continet aut excedit. d. C. neque tamen vel fustigatio vel suspendium a necessitate ablatum ex bonis suis restituendi liberat. d. Mand. §. nemlich. Jure Saxonico Communi semper obtinet in Crimine Residui mitior, quam Suspendii, poena: talis enim Administrator pro fure proprie sic dicto non habetur, cum res ablatas alii possessori non furripuerit. a. 18. l. 2. a. 29.*

XXXIII. His de Materia Criminum quasi per Indicem tactis ad exactiorem in Pandectis Tractationem L. B. remittimus cum Justiniano §. 12. l. h. Imp. §. XII. f. b. & instituto nostro suum imponimus finem.

S. D. G.

INDEX





I N D E X  
TITULORUM INSTITUTIONUM  
IMPERIALIUM.

A.

<b>D</b> E Acquisitione per Adrogationem Lib. 3. t. 11.	P. 337
Actionibus Lib. 4. tit. 6.	482
Ademtionem & translationem Legatorum Lib. 2. tit. 21.	274
Adoptionibus L. 1. t. 11.	59
Attiliano Tutore, & eo qui ex Lege Julia & Titia dabatur L. 1. t. 20	87
Auctoritate Tutorum L. 1. t. 21.	91

B.

Bonorum Possessionibus L. 3. t. 10	332
------------------------------------	-----

C.

Capitis deminutione L. 1. t. 16.	81
Codicillis L. 2. t. 25.	291
Curatoribus L. 1. t. 23.	96

D.

Divisione Stipulationum Lib. 3. tit. 19.	367
Donationibus L. 2. t. 7.	177
Duobus reis stipulandi & promittendi L. 3. t. 17.	363

E.

Emptione & Venditione L. 3. t. 24.	390
Eo, cui libertatis causa bona addicuntur L. 3. t. 12.	338
Exceptionibus L. 4. t. 13.	548
Excusationibus Tutorum vel Curatorum L. 1. t. 25.	103
Exheredatione Liberorum L. 2. t. 13.	213

F. De

